



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 3. An est peccatum agere uel omittere aliquid in dubio de malitia talis
actûs hîc & nunc faciendi, vel ejus omissionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

dubitat, an id præstare teneatur in tali dubio.

Q. 3. *An est peccatum agere vel omit-
tere aliquid in dubio de malitia talis actus
hic & nunc faciendi, vel ejus omis-
sionis?*

Resp. Est peccatum ejusdem speciei & gravitatis, cujus est peccatum de quo dubitatur, quamvis id secundum se sit licitum. *Ita omnes.* Constat. 1. ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, hoc est ex persuasione quod sit licitum, peccatum est.* At actio, (idem dic de omissione) quæ fit in dubio de ejus malitia, non est ex fide, seu ex persuasione quod sit licita, ut patet: Ergo peccatum est. 2. Agens in dubio vult saltem interpretativè malitiam peccati, de qua dubitat: eo ipso enim æquè vult actum, sive sit peccatum, sive non. 3. Qui se exponit morali periculo peccandi, peccat, & quidem eadem specie & gravitate peccati, cujus periculo se exponit, juxta illud *Eccl. 3. Qui amat periculum, in illo peribit.* At agens in tali dubio exponit se periculo faciendi peccatum, de quo dubitat, & tale periculum amat ac eligit: nam id agit, quod spectato suo conceptu tam potest esse illicitum, quam licitum, nec habet determinatum judicium, quod operatio sua sit licita potius quam illicita. **Idque**

Idque Ethnici solo lumine naturali norunt. Sic enim Cicero lib. 1. de Offic. ait: *Bene precipiunt qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum.*

Q.4. *Quomodo firmanda est conscientia in dubiis?*

Resp. Tum quisque tenetur 1. adhibere diligentiam in veritate inquirenda debitam & possibilem pro rei gravitate, & loci ac personæ qualitate & conditione; Deum orando, cor mundando per contritionem ne impediatur lumen veritatis, affectum omnem pravum deponendo; cupiditates, quæ mentem obæcant; cohibendo; probos ac peritos consulendo; praxim timoratorum ac proborum attendendo; rationes utrimque, & rem pro materiæ gravitate ex solo amore veritatis expendendo. Nam eodem præcepto, quo quisque tenetur prudenter agere, & vitare peccatum, tenetur etiam veritatem diligenter investigare, ne imprudenter agat, seque periculo peccandi exponat.

Resp. II. In dubio post diligentiam debitam adhibitam quisque tenetur se prudenter resolvere, ideóque non per solum affectum, sed per motivum prudentiæ. Alioquin adhuc se exponet periculo peccandi; nam voluntas est potentia cæca, quæ debet